

Friedrich Wittstock

**Viro Generosissimo ac Clarissimo Domino Samueli Theophilo Vogel,
Serenissimo Magno Duci Megalopolitano ... Professori Ordinario Publico, nec
non Medicorum Ordinis in inclyta literarum Universitate Rostochiensi Seniori,
plurium Societatum literariarum Sodali XXXmum m. Decembris A. MDCCCXXI
diem festissimum publice privatimque gratum et iucundum, quo ante hos
quinquaginta annos in alma Georgia Augusta in Doctorem medicinae summa
cum laude est promotus, pia et devota mente gratulaturus nonnulla de natura
exanthematum acutorum genuinorum eorumque indole**


Rostochii: literis Friderici Behm, 1821

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950262928>

Abstract: Festschrift anlässlich des 50jähr. Doktor-Jub. Samuel Gottlieb Vogels

Druck Freier  Zugang





R.u. - Progr 1821/a

(22)

Samuel Theophilo Vogel,

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

V i r o
G e n e r o s i s s i m o a c C l a r i s s i m o
D o m i n o
Samueli Theophilo Vogel,

Serenissimo Magno Duci Megalopolitano a consiliis intimis de rebus medicis,
Principisque Serenissimi Regnantis archiatro,
Fundatori et Directori balneorum, quae Dobberani florent,
Professori Ordinario Publico, nec non Medicorum Ordinis in inclyta literarum
Universitate Rostochiensi Seniori,
plurium Societatum literarum Sodali

XXX^{im}um m. Decembris A. MDCCCXXI

diem festissimum publice privatimque gratum et iucundum,
quo ante

hos quinquaginta annos in alma Georgia Augusta
in Doctorem medicinae

summa cum laude est promotus,

pia et devota mente gratulaturus

nonnulla

de natura exanthematum acutorum genuinorum eorumque indole
exponere conatus est

F r i d e r i c u s W i t t s t o c k

Med. Doct. et phys. publ.

Rostochii,
l i t e r i s F r i d e r i c i B e h m.

Generosissimo ac Clarissimo
Domino
Samueli Theophilo Vogcl

Vita brevis; ars longae; iudicium fallax; experientia difficilis.

Hipp.



Vir maxime Venerande!

Summis divini numinis auspiciis hodie festum iubilaeum celebrare, Tibi, Vir praenobilissime, contigit.

Quo rarius hoc accidit, eo magis talis diei mentionem facere, eumque digne solenniterque, tanquam festissimum totius vitae, celebrare decet.

Egregia merita Tua in literas et laborem indefessum, quem in generis humani malis atque doloribus mitigandis nec non sedandis collocasti, hic enarrandi nec locus est, nec mihi consilium. Quod si facerem, audacissimus forem iudicandus, quum opera Tua memoriam Tui nominis celeberrimi iam dudum posteris commendaverint.

Tibi attamen, immortaliter de me merito, gratias, quas debeo, referre, haud alio melioreque modo mihi licitum erit, quam hodie, Deum ter optimum maximum roganti atque oranti, ut dies vitae Tuos, hominum sauti ac Tuae felicitati usque ad senectutem longinquam, iuvenili vigore ornatam, producat!

*Tuam vitam, semper rectam atque probam, nobis
omnibus perpetuo tanquam luculentum exemplum praefulsuram,
omnium malorum, quibus corpus humanum aetate protracta
plus minusve premitur, expertem, nec non Te usque ad
supremum Tuae vitae piae et sanctae diem mihi, ut hucusque,
ducem, fautorem et amicum permansurum esse, maxime in
votis habeo.*

*Accipe igitur, precor, quae Tui honoris causa
scripsi, benevole, nec in opusculo iuvenili dijudicando
nimia severitate utere.*

Quum omnes morbi, vel singulum hominem, vel plures una corripientes quacunq[ue] ratione tam medicorum ingenium quam meditationem profundam exposcant, nonnulli tamen ab omni inde aetate artis peritorum studia excercuerunt, ideoque imprimis eorum diligentiam iure quodam suo sibi postulare videntur. Morbo laboranti et aegro in lectum prostrato auxilium adferre, dolores mitigare, vel solatium saltem praebere, medici est officium sacrum et munus salutare. Qui tamen hoc probe recteque exsequi volunt, corporis humani structuram nec non functiones viresque et caussas, genera, indolem atque singulorum naturam morborum cognoscaut oportet.

Saepius vero accidit, ut viri bene edocti et optimo mentis acumine praediti nec morborum caussas explorare, nec eorum naturam indagare possint. Quin adeo magnus morborum numerus nunc adest, qui quotidie observantur, et a medicis recte feliciterque tractantur, quorum naturam attamen et indolem nos nihilominus non omnino intellexisse ingenue est profitendum.

Huc pertinent prae aliis exanthemata acuta, a contagio genuino et peculiari genita *), scilicet variolae humanae, morbilli et scarlatina.

Ne originem eorum quidem ostendere possumus, dum historia tam medicinae quam universalis, cuius fontes a multis summa cum diligentia frustra hucusque explorati sunt, nulla

*) I. P. Franck de curandis hominum morbis epitome, Lib. III. Class. tert. gen. de exanth.

momenta hanc materiam sat illustrantia nobis suppeditat *), est ea genus humanum diutius vexasse, est in promptu. Nil igitur nobis restat, nisi ut morborum, de quibus sermo est, symptomata et phaenomena accuratissime examinemus nec non perscrutemur, et discrimina, quibus tamquam genuina distinguuntur, diligenter observemus.

Hypotheses et varias inter se medicorum opiniones, hic ut in omni re medica dissentientes, examinare in easque inquirere, nec argumento maiorem lucem affunderet, nec proposito nostro responderet. Experientia edocti atque observationibus innixi viri eruditissimi omnis aevi modo hanc, modo aliam exanthematum naturam animadvertisse adfirmaverunt et unusquisque veram invenisse et recte perspexisse putavit. Eorum tamen plurimos verum haud adtigisse nedum adeptos esse, etsi diagnosi theorematum superstructa et adaptata ducti in aegris tractandis se felicissimos fuisse medici de se gloriati sint, iam eo patet, quod singulae eorum sententiae valde inter se discesserunt. Inde tot errores nati sunt et iudicia fallacia, quae scientiae nostrae plus nocuerunt quam profuerunt.

Eodem modo scilicet omnia efflorescentia, papulae, pustulae, vesiculae, bullae, tubercula, imo impetigines, corporis humani quodammodo superficiei insidentia, et sensuum praesertim visus ope detecta, tum febris nulla, tum graviore, tum leviori comitata, ad exanthematum classem acutorum promiscue adnumerata sunt. Forma externa, vel habitus externus, licet et singula minoris virtutis symptomata discrimen inter se profiteantur, sat idonea sunt aestumata ad varia exanthemata definienda, et ea nunc huic nunc alii eorum generi vel speciei adiudicanda. Rationes maximi

*) Gregor Ueberlacher über die Grundlosigkeit der ersten Schilderung der Röhel oder Kindsflecken von den Arabern. Wien 1803.

ponderis, videlicet causas, singulares et essentielles morbi prodromos nec non decursus atque multa alia phaenomena, potissimum vitia et morbos, qui saepissime exanthemata acuta genuina proprie insequi solent, vel omnino neglexerunt, vel non tanti aestimaverunt, quam mereri nobis videntur.

Aliter vero res se habet, si exanthema quodcumque oriatur ex urticae laesione, vel ex animi pathematum in corpus humanum vi, vel ex vesicantium aut aliorum medicaminum rubefacientium et pustulas procreantium applicatione, vel tandem ex contagio genuino et peculiari; alia est ex causae natura dignosis, alia curandi methodus, quae inde nascitur. Qui causam ignoravit nec antea amovit, effectum tollere, multo minus exitum periculosum quin etiam lethalem praecavere nequit.

Exanthemata acuta, genuina dicta, ergo morbos esse sui generis sive peculiare, cum aliis morbis cutaneis minime confundendos, licet quoad formam iis similes esse videantur, iam ex iis, quae diximus, praecipue autem eo patet, quod unum idemque individuum modo semel corripere valent et semel sustenta per omnem vitam morbi eiusdem iterationem praecavent. Exceptiones singulae, eademque rarissimae, quas denegare minime in animo habemus, regulam neutiquam tollunt, etsi nobis persuasum est, eorum plures observationes valde dubias et exanthemata spuria interdum pro veris censa esse.

Quae genuina dicta exanthemata, scilicet vera, contagio, nobis quodammodo omnino incognito, peculiari gigni, et morbum tali modo genitum semper idem contagium, alii corpori humano allatum eandemque morbi speciem generare valens, procreare inter omnes constat. Omnibus igitur temporibus per totum terrarum orbem homines vexaverunt, et nonnumquam, nulli aetati, nulli sexui parcentia, et omni anni tempore vigentia, magnas et graves inter nos strages

paravisse observatum et sat confirmatum est. Quod attinet ad indolem propriam semper idem fuerunt morbus exanthemata, et singularum discrimina epidemiarum minime a mutata contagii genuini natura, imo a momentis, vel extrinsecus superaccedentibus, vel in singulo aegro iam antea tum praesentibus tum coëxistentibus, orta sunt. Materiam contagiosam sive peccantem itaque numquam mutatam esse, quam maxime adhuc eo patet, quod singuli ab ea procreati morbi omnibus temporibus nec non climatibus, in terris tam frigidis tam calidis, iidem fuerunt et permanserunt.

Individuum ab aegro gravissime laboranti vel paulo post obito infectum, morbum hoc modo conceptum leviter sustinuisse, et mox, quin medici sine auxiliis convaluisse et vice versa, omnes scriptores iidemque acutissimi, quibus epidemias nunc benignas nunc malignas observandi copia fuit, experientia ducti haud negare potuerunt.

Quibus igitur argumentis convictus quisque medicus rationalis potissimum eo curam intendat, ut morbi naturam, dum auxilio vocatur, cognoscat, diagnosi inde recte instituta complicationes et praesentes et accedentes bene respiciat atque perpendat, et nunc curandi methodum ex rationibus hic profectis instituat. Rarissime sine febre ingrediuntur, licet saepius valde levia appareant. Quae autem febris exanthemata acuta comitans aliter est consideranda et tractanda ac alii status febriles in quocunque alio morbi genere. Nam hic est socius peculiaris, praecipue eo inseruiens, ut contagium, alicui corpori humano contagione impertitum, sine damno eliminat. Systema cutaneum sive cutis imprimis organum est habendum, quod contagiorum incensionem admittit, contagiorum quasi receptaculum, simul tamen eorum excretionem perficere nititur. Facile igitur est intellectu, tale systema — coeterrorum instar primum et maximi momenti — omnibus potentiis vel

stimulis, extrinsecus homines irritantibus expositum, tum ex corporis dispositione, tum ex stimuli natura, aliorum functiones naturales plus minusve ob commercium omnium inter se tamquam indissociabile perturbare oportere. Omnem corporis humani aegritudinem, vel levissimam, certis phaenomenis statu sano et normali discedentem cognosci, medicum ergo, qui de morbi natura recte iudicare velit, illa accurate observare et ex rationibus sufficientibus aestimare debere, ex iis, quae diximus, sole meridiano clarius apparet.

Qui non hoc modo naturae leges praecipueque corporis humani structuram et oeconomiam perpenderunt, eos nec in curandis hominum morbis felices fuisse, nec medicos rationales appellari debere, experientia quotidiana satis abunde probavit. Qui vero nobis forsitan exprobant, contagiorum naturam hucusque minime exploratam esse, ii multas alias esse materias tam in nostra, quam in physices scientia, quas ingenium humanum numquam perscrutatum sit, obliti sunt; quamquam negari nequit, scientias naturales, videlicet physicen et chemiam nostris temporibus maxima incrementa cepisse. Quo argumento innixi maximopere dubitamus, quin unquam mortalibus contingat, contagiorum indolem penitus indagare.

Quae quamquam nullo modo in dubium vocari possunt; tamen concedendum est, phaenomena et symptomata, exanthema acutum aggreddens indicantia, cognoscere, eorum prodromos et decursum, praesertim autem noxia, quae per metastases saepissime insequuntur, vel adeo mortem subitam afferunt, explorata habere et diagnosi recte instituta curandi methodum singulo casui adaptare, iam sufficere.

Qui igitur mox hanc mox aliam curandi methodum tamquam rectam et in omnibus epidemiis haud dubiam laudaverunt, ex rationibus iam dictis valde peccaverunt. Contagium fuit nempe

semper idem, morbus licet inde profectus, nisi complicationes adessent, ex singulorum individuorum conditionis et dispositionis ratione numquam idem foret. Quot sunt momenta, quae unum eundemque morbum in diversis corporibus semper alium efficiunt, tot itidem sunt discrimina inter singulos casus.

Argumentis igitur allatis convicti et experientia edocti, nos in curandis huius generis morbis nec feliciores fore, si etiam contagiorum naturam chemiae ope omnino exploratam haberemus, nobis est persuasum. Mutationes et operationes, quae contagio gignuntur, in corpore vivo et organico nec in lagena chemica procedere, nec solum viri contagiosi indole sed potius momentis, in singulo individuo praesentibus et virium dynamicarum functionibus determinari, omni tempore memores simus.

Febrim comitantem, si nimis ardens est, vel coma vigil, soporem et deliria vel alia phaenouena comitem habet, mitigare, cutem aridam et siccam mollem et ad exhalationem idoneam reddere, metastases saepe repentissime et improvise insequentes et summum periculum afferentes, praecavere, complicationes cum aliis morbis vel morbi symptomatibus ex caussarum incitantium ratione tractare, praecipue vero contagium ad excretionem praeparare, medici rationalis et indicatio et summa cura atque negotium est.

Exanthemata acuta genuina morbum esse necessarium generi humano, quod nonnulli viri eruditi putaverunt et probare conati sunt, numquam forsitan ad liquidum perducetur. Ea iam tam diu adeo exstitisse, ut primam eorum originem ne docere quidem possimus, et individuum — illis fortunate sustentis — antea imbecille et invalidum, postea forte et sanum redditum fuisse, pro certo habemus, nec tamen probare conamur, eorum existentiam generi humano et necessariam et salutarem esse. Functiones vitales, tam humidorum quam solidorum naturam et omnis corporis

indolem organicam et naturalem immutari ex dictis patet; quo vero modo hoc fiat, mysterium semper futurum esse probabile est.

Iis denique, qui nobis fortasse opponant, variolas vaccinas corpus humanum adversus veras sive humanas tutas reddere, et eo probare tentent, quod eadem ratione alia exanthematum genera olim deleri possint, nonnulla adhuc respondere licebit. Variolas vaccinas contra veras tueri, experientia ultimorum viginti annorum probatum est, et propterea earum insitionem legibus sancire plurimis imperiis civilibus visum est. Quum tamen de earum prima origine perinde ac de aliis contagiis exanthematum genuinorum in obscuritate versemur, nonnulla dubia proferendi hic nobis locus maxime idoneus esse videtur.

Variolas vaccinas, genuino contagio in vaccis et quidem in earum ubere pustulas gignente oriri, pro certo habetur*). Ex nonnullorum tamen sententia primitus ex peculiari materia (lingua vernacula *Mauße* dicta) ab equis in vaccas propagatae esse dicuntur**). Utra autem opinio vera sit, hic definiri non potest. Variolam dictam vaccinam morbum esse genuinum vel sui generis, imo potius olim ab hominibus animalium nonnullis generibus fortuito impertitum, haud omnino improbabile esse nobis videtur***). Quem morbum genuinum hactenus numquam in feris sed modo in

*) Jenner (Eduard) Untersuchungen über die Ursachen und Wirkungen der Kuhpocken; übersetzt von Ballhorn. 1799. Pag. 36.

Desselben fortgesetzte Beobachtungen 1800.

Fr. G. A. Bouchholtz Abh. über die Kuhpocken als Schutzmittel gegen die Blatternansteckung. Berlin 1802.

***) Jenner. I. c.


****) Bouchholtz. I. c. pag. 24.

animalibus domesticis observatum et vaccis duntaxat proprium esse, quod sciamus, maximi ponderis est habendum. Multa adhuc hic occulta, nec argumentum, de quo sermo est, jam ad liquidam omnino perductum esse, ut quidam autumant, facile est intellectu. Dubia autem, quae extant, tollere, huius disputationis, quam instituimus, limites excederet; nobis tantum licitum sit, antequam hanc materiam relinquamus, nonnulla, quae notatu digna nobis videntur, adhuc adferre.

Virus quodcumque genuinum, quod in corpore humano certa et semper eadem phaenomena procreat, corpori animali admotum et ab illo profecto receptum, utrum eadem phaenomena an alia in eo gignere valeat, in dubium vocatur. Corpus humanum multum simile cum animali habere negari nequit; attamen magnum et vastum inter utrumque discrimen adest et maximi nobis momenti aestumandum videtur, animalia, in specie quadrupedia pilis instructa esse, quorum functiones non tali modo perspeximus, ut, quale habeant momentum in contagia vel alias materias morbiferas, sufficienter dijudicare possimus. Animalium ergo oeconomiam aliam esse quam hominum, non solum ex argumentis allatis, sed etiam ex multis aliis, scilicet victu, structura et iam inde patet, quod multa morborum genera, homines vexantia, numquam illa corripunt.

Scientiae medicae igitur omni tempore mysteria manebunt, quae numquam omnino dilucidabuntur et quae argumentum praebent, hominis, animo praediti, naturam reconditiorem esse, quam ut ullo tempore eam penitus cognoscamus.

Diximus.



Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side of the page.



